UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

Svmmarivm Homil. Qvadragesimæ Septime Seqvent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

SVMMARIVM

HOMIL. QVADRAGESIMÆ SEPTIMÆ SEQVENT.

VT D. Ioannes Euangeliſta acutiſſimos declararet dolores, quos SS. Virgo Maria paſſa eſt ex morte Redemptoris, illam nobis deſcribit ſemper cruci proximam: ex quó martyrij ipſius exprimit excellentiam: quod cum donum ſit quo nullum eminentius, Deus electis ſuis confert, in illa deficere omnino non poterat, quæ ceteros vitæ ſanctitate præcurrebat. Et quantum ad eius ſpectat probationem ad tria reuocatur puncta. Primum *a* quod cum eſſet Mater quæ præ reliquis altiori gaudebat cognitione filij ſui, & amore eum diligebat perfectiori tam in ordine naturæ quam gratiæ, ipſa luctu quoque multò torquenda erat acerbiori, filium conſpiciens talibus exſpirantem doloribus, quos ipſa filium perpeti triſtis intuebatur. Paſſa eſt autem hoc tanta conſtans fortitudine & perſeuerantia, vt nec lacrymas mœſta fuderit, nec infirma paſſa ſit animi deliquium: cum enim ſenſus ſuos haberet viuaciores, & non haberet vnde triſtiam ſuam exoneraret, multó inde grauiùs affligebatur. Secundum: *b* quòd amor tantum in illa ſit operatus, vt ac ſi eadem in cruce fuiſſet crucifixa, eoſdem in corde ſuo ſentiret cruciatus, quos Chriſtus in ſacratiſſimo ſuo corpore perferebat: & ſicut illi tales fuerunt in Chriſto, vt Pater æternus nullum in eis tribuerit ipſi locum conſolationis: ita quoque voluit vt ſanctiſſima eius Mater omni deſtituta ſolatio langueſceret tam eo vſque increuit, vt illam nec Matris nomine Chriſtus ſolaretur, illam de cruce moriens allocutus. Tertium: *c.* quòd omnia Dominicæ Paſſionis inſtrumenta pijſſima cordis illius viſcera penetrarint, ſed potiſſimum ictus lanceæ, qua Chriſtus ia n mortuus transfodiebatur, quam idcirco Eccleſia nuncupat crudelem. Quartum: *d.* quod eius cruciatus & animi triſtitiam ſummopere promouit, fuit, quod eum de cruce deponi vidit, & materno ſuo recepit gremio cadauer exanime, quod deinde illi abſtulerunt ſepeliendum, & mox ſepultum deſeruit: etenim illo ſe priuatam i gemiſcens, omnes reſumpſit ſenſitque cruciatus quos in eius Paſſione perſenſerat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§.1. Ne Virgini SS. donum deeſſet Martyrij, quod eſt eminentiſſimum quod Deus electis ſuis concedit, illud ipſi conceſsit, & comprehendit in doloribus quos vidit filium patientem in SS. Paſsione ſua ac morte.

§.2. Dolor quem ſenſit in corde ſuo Virgo, dum vidit Chriſtum extremis adeo cruciatibus morientem, reddidit Martyrium eius cęterorum Martyrum Martyrio excellentius.

§.3. Cum eſſet adeo ſublimis ea cognitio, quam habuit Virgo SS. de Paſsione & morte Chriſti, & amor adeo intenſus quo illum diligebat, eundem in anima ſua dolorem ſenſit, quem in ſuo Chriſtus corpore tolerauit.

§.4. Ex vniuerſali omnium creaturarum triſtitia in morte Chriſti, collige quanta fuerit afflictio cordis SS. Matris eius: quæ non plorans, acerbius eam quam omnes illæ perſenſit.

§.5. Locum non ceſsit D. Virgo deliquio animi, quando Chriſtum vidit in cruce quatenus ſenſibus manens excitatis dolorē ſentiret tantò ſæuiorem.

§.6. Maximum eſt argumentum ſanctitatis B. Virginis, quod tot inter tribulationes ac pœnas, quibus cor eius affligebatur perſeueraret & in earū ſtaret toleratione conſtantiſsima.

§.7. Luctantur in corde Virginis amor quo fertur in Chriſtum vt viuat, & conformitas voluntatis ſuæ cum æterni Patris voluntate, vt moriatur: & hæc cor eius lucta configit iiſdem doloribus quos Chriſtus in horto patiebatur.

§.8. Intolerabilem excitat parentibus dolorem videre filios ſuos morientes: vt autem B. Virgini hic non ſubtraheretur dolor, diſponit Deus vt Chriſtus in cruce, ipſa ſpectante, moriatur.

§.9. Probatur maximū in Virgine fuiſſe eius dolorem, quod filium ſuum viderit morientem; etenim talis intuitus affligit ampliùs materna pectora, & multo magis huius Virginis, quæ reliquas matres longè ſuperabat.

§.10. Quia Chriſtus filius erat ſolius matris ſuæ SS. illum ea feruentiùs quàm omnes matres ſuos, diligebat: vnde fuit in illa dolor ex eius morte moleſtior.

§.11. Ita vicina adſtat Virgo Domina noſtra cruci filij ſui, vt in ipſa videatur crucifixa, eoſdem in corde ſuo perſentiens cruciatus, quos Chriſtus in corpore tolerabat, vt non haberet quo ſe verteret ſolatium inuentura.

§.12. Chriſtus B. Virgini titulum non aſcribit matris, quando illi de cruce loquitur quatenus Martyrium eius ſimile foret illi quod ipſi patiebatur ab æterno Patre ſuo deſtitutus.

§.13. Quamuis omnem ſpirauerit crudelitatem, quidquid inimici Chriſti corpori intulerunt, quo ſæuiùs illum torquerent, ſingularis attamen fuit ictus lanceæ illa namque Virginis pectus transfodit.

§.14. Renouantur B. Virgini dolores ſacræ Paſsionis inſtrumenta, quando (cum de cruce deponitur) Ioſeph & Nicodemus hæc illi conſignant.

§.15. Recipit in ſinum ſuum Virgo ſanctiſsima corpus filij ſui emortuum. Notemus doloris eius circumſtantiam.

§.16. Sepeliuit Virgo filij ſui corpus dolore vulneratum, quod pro illa hominum turba aromatibus vngit pretioſis in ſignum ſummæ venerationis.

§.17. Chriſtus Dominus ſepulchro tumulatur alieno: eius etenim non fuit, ſed noſtra mors, cuius domus eſt ſepulchrum.